



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1765

VD18 90118243

§.56. Papa Innocentius IV. moritur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)

Episcopo vel Parocho tradetis ex decre- Sæcul.XIII.
to Papæ Gregorii. Hæ litteræ Neapoli A. G. 1254.
21 Nov. 1254 ad omnes Religiosos scri-
ptæ ponunt aliquos habere parœcias si-
cut Canonicos Regulares.

§. LVI.

Papæ Innocentius IV. moritur.

Interim novus in Sicilia Papæ Legatus,
Guilielmus Cardinalis Diaconus tit.
S.Eustachii auctoritatem suam sic exten-
debat, ut Manfredi partes dicerent, hunc *Anon. ap.*
Præfulem non Governatorem sed Domi- *Ughell.*
num agere; Papamque velle regnum si- *p. 771.*
bi vindicare, ac familiam Cæsaris Fri-
derici extinguere. Præterea Procerum *Epist.*
quidam Burelius nomine, qui, ut se Pa- *Manfr. ap.*
pæ addiceret, a Manfredo desciverat, ab *Petr. de Vin.*
hujus clientibus & satis prope ipsum oc- *II. c. 5.*
cisus est, quanquam ejus injussu, ut per-
hibebat. Sed Papa contrarium credi-
dit: & Manfredus se non securum ratus,
ut ab illo etiamnum Capuæ morante se *Anon.*
removeret, per vias averſas Nuceriam *p. 792. p. 794.*
adiit, cujus incolæ Saraceni apertis eum
brachiis 2 Nov. excipiebant. Magnis
ibi opibus repertis intra modicum tem-
pus numerosam collegit manum. Cum-
que Legatus ac exercitus Papæ Trojam
&

Sæcul. XIII.

A. C. 1254.p. 801.

& Foveam prope Nuceriam occuparent, pars copiarum Manfredi pugna se implicuit, quæ huic occasionem dabat Foveam intrandi die Mercurii 2 Decembris an. 1254. Præsidium nocte sequente abiit; ac eodem tempore Legatus trepidans Trojam præcipiti fuga reliquit: sic Manfredus utroque loco potiébatur.

Legatus Neapolim se recipiens ibi comperit, Papam Innocentium IV. 7 Decembris posuisse vitam, cum Sedem Apostolicam annos undecim, menses quinque, dies quatuordecim tenuisset. In Cathedrali Templo Neapolitano terræ mandatus est, ac Romanum interregnum ultra septendecim dies non duravit.



HISTO-